

stitit, qui laudando, commendando, promovendo fortunam Tuam reddidit illustriorem.

Accedit & alia ratio, cur Tuus ego sim debitor ut ab aliis debitum hoc, si non exsolvi, certe compensari gaudeam. Primus eras, qui primis meis in hoc Gymnasio laboribus manum, oculos, ingenium & virtutem commodares: successores exemplo tuo, quid prestitisses, agnoverunt. Inde nondum mihi defuerunt, qui promptitudinem & fidelitatem testarentur, qui postmodum ad Academica studia progressi, Viris clarioribus placerent.

Ceterum ne sine symbolo suscipiatur gratulandi hoc officium, prescribere Nomen libuit Orationi, quam duplici jure dicere possis vel Tuam, vel Tibi qualitercunq; debitam.

Recolitur memoria celeberrimi Rectoris, è cujus cathedra docentes audiisti successores. Cur Tibi jucundum non sit, pristinum Scholæ statum contueri, quam variis modis benignam es expertus.

Laudatur KEIMANNUS integro septennio WITBERGENSIUM luce ac favore sustentatus, ut postea quatuor septenniis Zittavien-  
sium gloriam & utilitatem curare posset. Cur igitur recipere nolis exemplum, nullibi magis, quam in Al-  
ma vestra Leucorea, jactitandum. Habet Patria mea, quod Optima huic Academia referat in acceptis; ha-  
bet, quod imposterum à novis Benefactoribus expe-  
ctet. Quid enim posteris annis valitura sit Tua, vel

in